

Heinrich Christoph Grießheim von

**Iurisprudentiae Publicae Romano-Germanicae Brevis Delineatio : Sex  
Disputationibus Comprehensa, In Qua Tractatur De Origine Et Progressu Nostri  
Imperii, De Sacratissimi Imperatoris Electione & Coronatione, de laudatissimo  
Electorum Collegio, atq[ue] reliquis Imperii Nostri membris augustissimis**

Rostochii: Typis Ferberianis, 1620

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749874848>

Druck Freier  Zugang





~~K. G. 1336.~~  
35<sup>a</sup>.9.

Sc. 1336.



~~K. C. M. A. S.~~  
Magnifici, Generosi, eruditissimi et virtutis laude  
eminentissimi, et celeberrimi viri, Domini Jacobus  
Bäron, illustrissimi et celsissimi Duci ~~de~~ <sup>et</sup>  
politani confiliarii intimi, litterariorum Patroni  
augustissimi, iudicio et promotioni hacce exercitio  
submissæ Committee facta et praeses meus  
et suo favore, et patrocinio dignum iudicet  
enim observantia rego atque obsecror.

JURISPRU-  
DENTIAE PUBLICÆ  
ROMANO-GERMANICÆ  
BREVIS DELINEATIO,  
SEX DISPUTATIONIBUS  
*Comprehensa*

IN QVA TRACTATVR DE  
ORIGINE ET PROGRESSU  
Nostri Imperij, De Sacratissimi Im-  
peratoris Electione & Coronatione, de laudatissimo  
Electorum Collegio, atq; reliquis Imperij Nostri  
membris augustissimis.

A U C T O R  
HEINRICO CHRISTOPHO-  
RO à Griesheim Equite Thuringico.



ANNO MDCXX  
ROSTOCHII  
TYPIS FERBERIANIS, ANNO  
M. D. C. XX.

REVERENDISS. ILLUSTRISSIMIS, AC  
CELSISSIMIS PRINCIPIBUS ET  
DOMINIS

DN. ADOLPHO  
FRIDERICO,

E T

DN. JOHANNI  
ALBERTO,

Coadjutori Episcopatus Razeburgensis,

DUCIBUS MEGAPOLITANIS, PRINCIPI-  
bus Henetorum, Comitibus Schwerinensium, Dynastis  
Rostochij & Stargardiae, Dominis meis cle-  
mentissimis,

*Hacce exercitia Juvenilia subjectissima  
animi observantia*

Offero  
HEINRICUS CHRISTOPHORUS  
Griessheim Eques Thuringicus.





I.  
DISSERTATIO  
DE S. ROM. GERMA-  
NICO IMPERIO  
PRIMA,

De Veteris Romano - Teutonici Imperij augustissi-  
ma dignitate, & angustissimis praesentis Reipublicæ reli-  
quijs, atq; glorioſiſſimā Electorum institutione.

RESPONDENTE

ILLUSTRI & GENEROSO DN. BOTHONE  
HEINRICO, L. B. ab Eylenburgk.

**C**OMMunissima Historicorum hucusq; fuit opinio, Imperium Romanum à Græcis ad Germanos fuſſe translatum, in personā Caroli M. A. C. 801. per Pontificem in nomine totius populi Romani, videat. Pet. de Andlo de Rom. Imp. l. 1. c. 13. & ibi Marq. Freher. in notis, Munſt. l. 2. Cosmogr. c. 57. Lehman in der Speyerischen Chronick l. 2. c. 40. Peuc. Chron. l. IV. Aventinus l. IV. Peuc. Chron. l. IV. Sleid. de quatuor sum: Monarchijs in Carolo M. Cuspijanus in vita ejusdem, Pezelius Mellif. histor. p. 3. c. V. Mich. Sachse in vita Caroli M. Abbas. Ursperg. de Carolō M. hosce versic. recitans.

A

Sangui-

**2** Sanguine Rōmanum sibi regnum Carolus aptē  
Associat propriō, propriō quoq; sanguine servat.

*Et Gunth. in Ligur. l. 3.*

Adfuit immensi domiter fortissimus orbis  
Carolus, & magna miserum virtute redemit,  
Ereptumq; manu medijs ex hostibus in se  
Transtulit imperium, belliq; tenore recepta,  
Hæc tua Francorum sociavit mœnia regno.

*Et Sebas. Brandes.*

Translato Imperio à Græcis, Germana repente  
Natio suscepit regia sceptrā & opus,  
Germanus quoniam nostro quoq; natus in orbe  
Carolus, & vero semine Teuto fuit.

Quod si intelligatur de pleno Italorum consensu & to-  
tali confirmatione, non repugnabimus; si verò de ori-  
ginali conjunctione, Imperij Romani & Germani ac-  
cipiatur hæc sententia, falsam esse pronunciabimus,  
per rescriptum quoddam Justiniani Imp. de A.C. 536.  
quod habetur apud Dn. Patronum Goldast. tom. 1.  
constit. imperial. f. 7. in quo expressis verbis probatur,  
ut Theodosiatus rex Germanorum Romani Impera-  
toris titulo utatur.

### II.

Quicquid sit talis eō tempore secundum *Jul. Pflug.*  
*Episcopum Naumburg. in orat. de Republ. German. Ordin.*  
*p. 15.* extitit nostri imperij forma, ut melior ne excogi-  
tari quidem posset, & Germania nostra tanto splen-  
dre suit ornata, ut sol hic nullum unquam viderit majo-  
rem. Atq; in ea planè beatâ atq; florente, omnes o-  
mnium ordinum homines & conjunctius inter se,  
quam ulli uspiam exterarum nationum homines vi-  
verent.

### III.

Hincq; nulla insula, nulla tellus, portus, aut maris  
sinus,

**N**atus, ad quem Germanorum fulgidissimi nominis fama non penetraverit. Et eā de causa factum est, ut inclutum Romanum Imperium, & summa rerum majestas ex remotissimis Græciae claustris migrando, cætera planè orbis despiciens climata, soli Germaniæ gremio insideret Pet. de Andlo de R. I. p. 2. Dicebaturq; Germania clarissimum omnium terrarum lumen, Domina urbium, arx Imperij Romani, mater gentium, regum possessio, Romanorum contubernium.

IV.

Et summus Germanorum Princeps, propter honorem divinum sibi exhibitum, cunctos reges antecedebat. Pet. de Andlo d. l. l. 2. c. 8. vocabaturq; Dominus rerum arq; princeps, cui omnes mortales militarent. Dn. Goldast. in Replic. pro Imper. c. II. mundi lumen & speculum sine ruga Gold. d. l. Corporalis mundi Deus eminens super omnes, tanquam stella matutina in medio nebulæ meridionalis Jason. in l. l. C. de summa Trinitate, Deo proximus secundum Eutropium l. 8. Legatus, Proconsul & vicarius Dei: Lex animata in terris, pater legis, rex regum, Dominus dominantium Lancellottus de J. publico l. l. c. 1. § 1. Fons justiciæ vivus, cœcorum oculus, pauperum advocatus; Tyrannorum malleus, regum Dominus; magister sapientum, virga potentum, Dux Christianorum, refugium oppressorum, spes misericordum, gloria bonorum, Sol terræ, orbis lumen; ex cuius throni fulgore velut ex sole radij, sic cæteræ prodeunt dignitates.

V.

Imò reditus Imperij Romano-German. A. 1158. sub Fridericô Barbarossâ adhuc fuerunt sexaginta tonnæ auri, ex Germaniâ & Italiâ; Colligebantur au-

A 2

tem ex

4 tem ex civitatibus, quarum maxima pars sub Imperatore immediate erat; item ex portorijs, vectigalibus, & telonijs, quae non erant principum & privatorum, sed Imperatoris Schneid. ad § ult. n. 5. Inst. de hered. quae ab Intest. defer. Besold. Polit. l. 1. c. IV. § 7. n. 34. Eleganter laudem Imp. veterum explicat. Gunth. l. 1. hisce verfic.

Lux mundi, cui nullum parve priusve

Spirat in orbe caput, quo gaudet principe mundus;

Quem populi, quem regnatum, quem solis ab ortu

Solis ad occasum submisso vertice cuncti

Suspiciunt, Dominumq; simul regemq; fatentur

Et iterum l. 3. Imp. Frid. inducit hisce vers.

Invigilant opibus cupidi mihi sola potestas

Sufficit, & cunctis dare jura potentia terris.

Quo mihi divitias, cui servit gloria mundi,

Quem possessor opum cum paupere dives adorat,

Quicquid habet locuples, quicquid custodit avarus,

Quicquid in occultis abscondit terra cavernis,

Jure quidem nostrum populo concedimus usum.

Et iterum l. VI.

Nullum caput ista super se

Aspicit, excepto cœlorum rēge potestas.

Et paulo ante.

Cunctorum quos cernunt fidera regum

Maximus, & rotō nulli cessurus in orbe.

Unde & sequens distichon :

Astra Deo nil majus habent, nil Cæsare terra:

Sic Cæsar terras, ut Deus astra regit.

VI.

Sed quorsum virtus Germanorum? Quorsum li-

bertas Francorum? Quorsum res Imperij Teutonici?

Pontifex Romanus Sathanæ primogenitus, quem Al-

ciatus in l. Tabernaaff. de V. Sign. ita appellatum statuit,

quod pon-

quod Pontem faciat in vitam eternam, sed commo-  
dius exinde ita nominatur, quod pontem illum latissi-  
mum ad gehennam fabrifaciat. Est enim Dux exercitus  
infernal, & secum innumerabiles populos ad infer-  
num potest ducere, nec quisquam audeat dicere Papa  
quid agis? Quia cunctos ipse iudicaturus a nemine  
est judicandus, *Canon. si Papa dist. 40.* Geritq; vicariatum  
Christi etiam super angelos secundum *Lancellot. de jure*  
*publ. l. 2. c. 1. §. 1. n. 3.* Et secundum *Hortiens.* potest adae-  
quare quadrata rotundis, de aliquo facere nihil, & de  
nihil aliquid; Et factum Papæ censetur factum Dei,  
secundum Decium; potest omnia supra, extra & con-  
tra jus, quæ Deus potest, teste eodem: Imo Papa sic se  
habet in Ecclesijs, ut Sol in Planetis, secundum Alex.  
Dicitur major Paulò & ceteris Apostolis, secundum  
*Lancellot. d. 1.* Imo Papa revera est Deus, & propterea  
ab hominibus judicari nequit *Canon. satis evidenter di-*  
*stinct. 96.* Quid multis ipse Papa etiam Imperator est, ut  
Bonifacius 8. ense accinctus contra Albert. I. Imp. ex-  
clamabat. *Mich. Sachse in vita Alberti I.* Hic, inquam,  
dimidium imperij Cæsari abstulit, & revera Imperato-  
ri fuit mus in pera, serpens in gremio, ignis in sinu.

VII.

Hic destruxit mundum, & annihilavit statum Im-  
perij, secundum *Ferrariensem in Practicā Juris.* Hic se-  
cundum *Cynum in l. eos § ne temerè C. de Appell. summo-*  
perè vellet, quod totus mundus in curiam Romanam  
infaret, tanta est in eo auri & argenti sacra famæ. Et  
sanè constat ex *Gunth. l. 3. v. 498.* & *Rittersh. in not. i-*  
*bid.* Pontifices pro mercede unius inaugurationis &  
coronationis imperatoria postulasse septem tonnas  
auri.

A 3

6 auti. Verissimè igitur *Conradus Celtes* miseriam nostram  
imperij hisce versiculis descriptsit:

Quicquid in extremis habuit Germania terris,

Et medijs quicquid continet illa plagis.

Exhaustum est, totum Latias migravit in arcus,

Expluat ut luxus Impia Roma tuos.

*VIII.*

Et eleg. author per vetustorum rhytm. Germ. Pam  
pam ita loquentem inducit :

Der Deutschen Gut ist alles mein,

Ihr Silber fährt in meinem Schrein noch in sichen Händen,

Ihr Pfaffen esst Hüner und trinket Wein,

Und lasst die Deutschen fasten sein.

*IX.*

Hinc & noti versiculi :

Curia vult marcas, bursas exhaustit & arcas :

Si bursae parcas, fuge Papas & Patriarchas.

Si dederis marcas, & eis compleveris arcas.

Culpâ solveris, quacunq; ligatus haberis.

Egregie ad rem Mantuanus :

Obtinet expulsa probitate pecunia Romam,

Nec Deus in totâ possidet urbe locum,

Quot sunt Romæ homines, tot sunt per compita fures;

Quosve canes speras experiere lupos,

Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ

Ignes, thura, preces, cœlum & venale, Deusq;.

Et alius :

Roma manus rodit, quas rodere non valet, odit

Dantes exaudit, non dantibus ostia claudit :

Curia curarum genetrix, nutrixq; malorum,

Ignotos notis, in honestos æquat honestis.

*X.*

Et iterum alius

Si quid Roma dabit, iugas dabit, accipit aurum,

Verba dat; heu Romam nunc sola pecunia regit.

Hinc &

Hinc & seqq. rhytmis.  
Roma capit singulos & res singulorum;  
Romanorum curia non est nisi forum,  
Ubi sunt venalia jura Senatorum,  
Et solvit contraria copia nummorum;  
Cum ad Papam veneris habe pro constanti,  
Non est bonus pauperi soli faver danti,  
Et si manus præstitum non sit aliquanti,  
Respondet hic tibi sic non est mihi tanti.

XI.

Et iterum  
Christus regna fugit, sed vi Papa subjugat illa:  
Spinosam Christus, triplicem gerit ille coronam,  
Pauper erat Christus, regna hic gerit omnia mundi.

Et Gunth. l. VI.

Ecce paternâ fides, & magni Præsulis alma  
Integritas, humilisq; Petri vestigia sectans!  
Jam non ferre crucem domini, sed tradere regna  
Gaudet, & augustus mavult, quam Præsul haberet.

XII.

Hincq; Abbas quidam interrogatus, cuius partis  
orationis esset Papa? Respondit participij partis, quia  
partem capit à Clerô, partem à seculari, partem ab u-  
troq; cum totius orbis doloris significatione sine mo-  
dis & temporibus Joha. Wolff. cent. 16. Lection. Memo-  
rabil. p. 624. Et egregiè Abbas Urspergens. l. 10. f. 215.  
Gaude, inquit, mater Roma, quoniam aperiuntur ca-  
taractæ thesaurorum in terrâ, ut ad te confluant rivi &  
aggeres nummorum in magnâ copiâ, lætare super ad-  
jutrice triâ discordiâ, quia erupit de puteo infernali, ut  
accumulentur tibi multa pecuniarum præmia, decan-  
ta canticum, quia per malitiam hominum, non per  
tuam religionem orbem vicisti; ad te trahit homines  
non ipsorum devota aut pura conscientia, sed scele-  
rum per-

**S**rum perpetratio, & causarum decisio, pretio compara-  
ta.

XIII.

Egregie ad rem *G*unth. noster l. VI. de Pontifice.

Cogitet antiquos primævi temporis annos,

Præteritosq; dies, & secula prisca revolvat,

Pauper erat præsul Romanus tempore prisca.

*Et paulo post:*

Regali munere crevit;

Excessere modum magnorum munera regum,

Si tantum cuiquam jus in sua regna dederunt.

*Et iterum:*

Ecclesiam regat ille suam, divinaq; jura

Temperet, imperium nobis fascesq; relinquat.

XIV.

Huc accessit Imp. quorundam prodigalitas, præ-  
fertim Caroli IV. de quo Theodoricus de Niem.  
Totum, inquit, imperium venditus fuisse, mo-  
dò emptorem reperiisset. Unde & Maximilianum  
Imperatorem de Carolo IV. dixisse ferunt, eum fuisse  
dissipatorem Imperij, alterum Crassum, vitricum Impe-  
rij, & pestilentiem pestem Germanis nunquam con-  
tigisse. Namq; Ludovico Duci Andegavensi, pro uno  
solenni prandio, regnum Arelatense, nobilissimum  
imperij membrum concessit; sedecim liberas Impe-  
riales civitates vicinis principibus vendidit; Et ut  
Wenceslaum ignavum filium successorem in regno  
sibi constitueret, cuiq; Electorum centum millia au-  
reorum promisit, quæ cum solvendo non esset, publica  
vestigalia imperatoribus ad subsidia relicta, Electori-  
bus non tam oppignoravit; quam alienavit, *En. Sylv.*  
*hist. Bohem. c. 33.* *Vnde vers. seq.*

Quartus amans patriæ, indignoq; coronam

Mercatus nato, cætera rectus obit.

*Hincq;*

XV.

Hincq; rectissimè nostrum Carolum possumus nominare homicidam suæ dignitatis secundum Balæum: ubi etiam addit Imperium non esse inmarsupio Principis, sed sese habere ut corpus, cui si vel auricula amputetur, monstrosum effici, secund. Sich. Cons. feud. o. Certè hic Carolus non solum auriculam hujus corporis augustissimi alienavit; Sed ita evisceravit, & deplumavit aquilam, ut in reliquum sit cæteris animalibus contemtui, quid enim potest sine pennis? Crantz. Saxon. l. 10. c. 3. Meritò itaq; Carolus IV. non Augustus ab augendô, sed angustus ab angustando fines Rom. Imperij potest appellari. secund. Besold. Polit. l. 2. c. 8. §. 4. n. 28.

XVI.

Eodem modo Wenceslaus, Caroli filius ignavissimus, & Imperio peniosissimus, quod reliquum fuit, abligurivit Krantz. Saxon. l. 21. c. 1. Dignior profecto, qui non diadema in capite, se laqueum incollò gestaret; Nec inter reges, sed inter histriones, ac potius porcos numerandus, teste Cuspini. in vita ejusdem. Et Crantz. l. 10. Saxon. c. 3. Aliquanto melius, inquit, aëtum esset cum Imperio, si neq; pater neq; filius in eo fuissent. Nam pater largitionibus ut filium extolleret, Filius ignavis dissimulationibus Imperium attrivere, inq; eam tenuitatem, quæ nunc cernitur, adduxere.

XVII.

Atq; hæ sunt præcipuae causæ, quod hodié reditus ordinarij ex Imperio tantivix sint, quanti disponendis & alendis postis est Schneid. ad §. ult. Inst. de hered. que ab Intest. defer. n.s. quodq; Imperij veteris vix umbra & figura nobis relictæ sit secund. Pet. de Andlo

B

l. 2. c. 11.

10l. 2. c. 114 Quod etiam indicat Bodinus de Republ. l. 1. c. X.  
Umbram, inquit, veteris majestatis retinent Germani,  
rem vero penitus amiserunt. Et Julius Pflugk. in Orat.  
de ordin. Rep. Germ. f. 28. Ab eo, inquit, tempore in dies  
magis ac magis extenuata fuerunt jura, atq; vestigia-  
lia Imp., ut post Carolum IV. è publico nostro & ve-  
stigibus imperij, non modò non nervos bellorum,  
sed ne pacis quidem subsidia Imp. nostri habuerint.  
Debilitavitq; hæc ratio potestatem, quam penes esse  
debebat summa rerum nostrarum, atq; ita convulsit,  
ut quibus Principibus, populisq; Germaniae imperare  
oportebat Cæsarem, eorum ipse nutum intueri cog-  
retur.

### XVIII.

Et iterum f. 67. Constat, inquit, Imperatorem no-  
strum è publico Recip. nostræ non habere, unde ipse  
ac familia ejus commodè vivere possit. Imò, quod  
magis est, ipse Carolus V. hoc confitetur in epist.  
quadam ad Hadrian. VI. Pontif. Rom. de A. 1522.  
quæ habetur apud Goldast. Constitut. tom. I. Germania,  
inquit, ad eam egestatem & rerum inopiam redacta-  
est, ut non modò ipsi quidquam contra Christi fidei  
hostes, trucissimos Turcas dignè gerere possint; sed  
nec tantulæ supersunt S. Rom. Imp. opes & facultates,  
unde justiciam & pacem tueri & conservare, ac nefar-  
iorum hominum scelera, & in inferenda injuria auda-  
ciam possint cohibere.

### XIX.

Hic commodè tractari poterit quæstio celeber-  
rima, An noster Imperator sit Monarcha? Quod  
nos negamus cum Paurmeist. 2. de Jurisd. c. 1. Besoldo Po-  
lit. l. 1. c. 8. §. 2. n. 5. Bortio in Synopsi Jur. publ. th. V. Kubach.  
cent. 1.

cent. i. quest. illust. dec. i. quest. ult. & assertius, Imperi- **IX**  
um nostrum ad statum mixtum esse referendum, ita,  
ut summa Jurium ejusdem sit partim tribuenda Im-  
peratori, partim Electoribus & reliquis Statibus.  
Primò autem diligenter notandum, non ex titulorum  
splendore de Principis potestate internā judicandum  
esse, nec ex multis & amplissimis regionibus, ut quæ  
duntaxat efficiunt Monarchiam impropriè, & exten-  
sivè, non verò intensivè: sed si velimus politicè expi-  
cari; an status noster sit Monarchicus, necesse habet  
mus, ut diligenter perlustremus potestatem Impera-  
toris nostri, an sit summa & absoluta, ita, ut propriâ au-  
thoritate possit leges condere universales, bellum in-  
dicere, & pace finire; omnium judiciorum provoca-  
tiones habere, nullius verò judicio subesse tenea-  
tur, ne venditemus umbram pro corpore, picturam  
pro re, speciem externam pro veritate.

**XX.**

Quo principio præsupposito, facile poterit colligi,  
Imp. nostrum nequaquam esse Monarcham. Primò  
enim nullas potest condere leges universales, absq; **;**  
Electorum & reliquorum Statuum unanimi consensu,  
uti constat ex omnibus recessuum imperij clausulis, vi-  
de recess. Imp. de A. 1613. ibi: Und wir Churfürsten bekennen  
öffentliche mit diesem Abscheide / daß alle vnd jede obges-  
schriebene Puncten vnd Artikel mit unsfern guten willen /  
wissen vnd Rath fürgenommen vnd beschlossen seyn / willio-  
gen auch dieselbe allesampe vnd sonderlich hiermit / vnd in  
Kraft dieses Brieffes.

**XXI.**

Econtra verò pro 2. Imp. noster tenetur se subjice-  
re judicio Electoris Palatini ad Rhenum, A. B. t. V. in f.

**B 2**

ibi: Von

*Natura*

12ibi : Von alter gewonheit / vor einen Phalsgraffen bey  
Rhein / des heiligen Reichs Erztruchses vnd Thurfürst  
antworten soll / vide eleg. ib. Buxtorf. & Arum. Pet. de  
Andl. de R. Imp. 2. c. X. & ibi Freher in not. Schonb. l. 5.  
Polit. c. 34. Quid verò si Imperator actoris partes susci-  
pere , aliumq; , convenire velit ? Nos dicimus compe-  
tentes hoc casu esse judices , ordines imperij. Quò re-  
ferendum quod legitur in speculo Suevico l. 1. c. 23. §. 3.  
ibi : Krieget der König mit jemande vmb Gut vnd ander  
ding / das des Reichs ist / da sollen vbersprechen die Fürsten  
vnd Graffen / die Freyen vnd des Reichs Dienstmenner.  
Sicq; aliquoties observatum fuisse testatur Bux-  
dorff. d. l.

### XXII.

Tertiò Imperator absq; Electorum assensu nu-  
lum potest movere bellum , intra vel extra fines im-  
perij , vide ap. Goldast. constit. tom. 2. Capitulationem Ca-  
roli V. Et apud eundem in den Politischen Reichshändeln  
p. V. t. 1. f. 162. & seqq. Capitul. Ferdinandi ibi : Wir sol-  
len vnd wollen uns dazu in zeitbemeldeter unser Regierung  
fried vnd nachbarlich gegen den Anstoßern halten/kein Ge-  
zenck / Rhede noch Krieg in oder außerhalb des Reichs von  
dessen wegen anfahen/oder unternehmen/noch einig frembd  
Kriegsvolck ins Reich führen / ohne vorwissen vnd bewis-  
ligung der Reichsstände / zum wenigsten der Sechs Thure  
fürsten.

### XXIII.

Huc accedit decisio Electoris Moguntini , qui  
apud Sleid. l. 1. de statu relig. nostrum Imperium Aristocra-  
ticum conceptis verbis affirmat ; Nobis , inquit , in primis est  
Aristocratia retinenda .

24. Con-

XXIV.

Constat autem Imperium nostrum hodiernum ex capite & membris: Caput ejusdē est Imperator. Membra verò in septem classes distribuuntur. In primā sunt septem Electores; In 2. Archiepiscopi, quorum duntaxat sunt quatuor: In tertia classe sunt collocati Episcopi, quorū hoc tempore viginti & septem in comitijs locum habent: Hisce decem ex veteri praelatorum ordine adscripti sunt: In 4. Principes politici, quorum octodecim hodiè habentur familiae. 5. Praelati & praepositi. 6. Comites & Barones. 7. Liberæ imperij civitates. vide Paurmeist. de Jurisd. l. 2. c. 1. n. 174 Hensler. disp. Polit. septima th. 49. Schonborn. l. V. Polit. c. 6. eleg. Wehn. Pract. observ. l. 5. in verb. Stände des Reichs.

XXV.

Postea quoq; totum Rom. Imp. primò in sex descriptum provincias, quas orbes sive circulos vocant. Et primò hujus ordinationis fit mentio in recessu imperij de A. 1500. §. Wie Sechs Räthe aus den Sächs Kreyzen sollen genommen werden; Sed postmodum sex illis circulis quatuor sunt additi, & ita decem constituti A. C. 1512. in recessu Imp. Coloniensi §. Darauff haben wir sampt den Ständen zehn Circel geordnet. Sunt autem 1. Austriacus, 2. Burgundicus, 3. Rhenanus superior Electoralis, 4. Saxonicus superior, 5. Francicus, 6. Bavanicus, 7. Suevicus, 8. Rhenanus inferior, 9. Westphalicus, 10. Saxonicus inferior, vide Thuan. l. 2. Histor. inpr. Cluten. in fascic. rerum quotid. th. ult. l. B. & C. Schönb. d. l.

XXVI.

Deniq; ut major S. R. J. dignitas & maiestas esset,  
B 3 ex singu-

74 ex singulis ordinibus quatuor viri constituti sunt, de quibus vide Goldast. tom. 1. const. f. 24. & Cluten. d.l. A. Pet. de Andlo de R. J. l. 1.c. 16. & ibi. Marq. Freb. in not. ubi dicit, hanc quaternariam procerum & ordinum imperij distributionem, vetustatem quandam redolere, & in oculis & ore omnium vulgo frequenter appare-re, idoneum tamen fundatum nullum habere.

XXVII.

Quò verò tempore qualitas Monarchici regimi-nis paulatim mutari & temperari coepit, in obscuro est, tamen id maxime tum contigisse arbitramur, cum ex imperio successorio, merè electitum factum fuerit, Bortius in *Synops. Jur. publicith. V.* Atq; hoc referen-dum illud Taciti: Loco libertatis, inquit, erit, si elige-re & eligi incipimus.

XXVIII.

Hincq; secundum Otton. *Frising. Juris imperij apex* est, non per sanguinis propaginem descendere, sed per principum Electionem reges creari. Quod & no-tavit Gunth. in *Ligur. l. I. versu 242. & seqq.*

In manibus vestris regnum est, ea quippe potestas  
Ad vos more suo semper viduata recurrit.  
Regibus est alijs potiundi jure paterno  
Certa fides, sceptrumq; patris novus accipit heres,  
Nos quibus est melior libertas, Jure vetusto,  
Orba suo quoties vacat incluta principe sedes,  
Quodlibet arbitrium statuendi regis habemus.  
Ex quo Romanum nostrā virtute redemptum,  
Hostibus expulsis, ad nos justissimus ordo  
Transtulit imperium; Romani gloria regni  
Nos penes est, quemcunq; sibi Germania regem  
Præficit, hunc dives submisso vertice Roma  
Suspicit &c.

29. Et

XXIV.

Et quidem ab initio Electiō novi regis eraē collo-  
cata penes omnes imperij proceres, neq; restricta ad  
certas septemvirorum familias , eligebaturq; secun-  
dum illud Plutarch. ab omnibus , qui imperare vole-  
bat omnibus. Quod eleganter declaratur à Witchin-  
do in histor. Otton. 1. Henricus , inquit, rex , cum se jam  
gravari morbo sensisset , convocato omni populo,  
designavit filium suum Otton. regem. Et Guillelmus  
Britto l. 3. Philippidos :

Est etenim talis dynastia Teutonicorum ,  
Ut nullus regnet super illos ; ni prius illum ,  
Eligat unanimis Cleri procerumq; voluntas .

XXX.

Vnde Gunth. d. l. 1. de Electione Friderici I. agens :  
Conveniunt proceres totius viscera regni

Item :

Claraq; Teutonici coierunt nomina regni.

Et iterum :

— Proceres, quos inclita robora regni ,  
Et validas nunquam pudeat dixisse columnas .

XXI.

Hocq; eam utilitatem aitulit Reipublicæ nostræ ;  
ut cum penes proceres dignitate præstantes, esset po-  
testas Imperatoris deligendi, si quis beneficio horum  
crearetur Imperator, eo ipso patriæ nostræ ita de-  
vinciretur, ut nisi in hanc pectore toto incumberet,  
turpem ingratitudinis notam, atq; infamiam vitare  
minimè posset, Julius Plugk d.l.

XXXII.

Quo autem tempore, quave occasione ad certas  
Personas Electiosit trāslata, vexatissima est quæstio ?

Adeò,

*V. Crantz*

16aded, ut Peucerus l. IV. Chron. non injuriā excla-  
maverit, Dolendum esse, de hac tantā re, nihil ullo-  
rum scriptis expositum esse, ut vel quorum auētori-  
tate, & consilio, Electorum senatus primum sit con-  
stitutus, vel cur in hunc Senatum hi ipsi asciti sunt,  
& non alij, nec plures, nec pauciores.

XXXIII.

Plurimi quidem statuunt, hoc collegium augustissimum ab Ottone III. esse institutum, Cuspin. in vita Otton. 3. Pet. de Andlo de R. J. l. 2. c. 1. & ibi Marq. Freher. in not. Lupold. de Bebenburgk de Juribus regni & imperij Rom. c. 2. inf. Julius Phlugk d. l. Heinricus Zolner de Regis Rom. Elect. concl. 10. Mich. Beut. in animadvers. histor. c. 13. Nicolaus Cisnerus in Orat. de Ottone 3. Simon Schardius in singulari lib. de Principum Elect. Inst. Heig. l. 1. q. 3. ubi n. 13. magnum, inquit, est hujus opinionispraejudicium, tot testibus omni ut videtur exceptione majoribus munitum Munst. Cosmogr. l. 3. c. 23. Thuanus l. 2. Histor. in pr. Peucer. Chron. l. 4. in Otton 3. Sleid. de quatuor summis Monarch. l. 3. p. 351. Kirchn. de Republ. disp. IV. th. 2. Mich. Wendland. in discursu de pace relig. p. 149. Georg. Spalatinus in Chron. Von herkommen der Chur vnd Fürsten zu Sachsen / Schiferer. de Elector. th. IV. Johan. Wolff. Cent. 2. in pr. rerum memorab. Daniel. Otto de Jure Publico c. 10. p. 226. Knich. de Privil. Ducum Saxonie, verbo Electorum, Paurmeist. de Jurisd. l. 2. c. 2. n. 37. ubi tamen subjicit, hanc opinionem sibi videri aliquā ex parte suspect. Matth. Steph. de Jurisd. l. 2. p. 1. c. V. n. 3. & seqq. ubi n. 9. addit, hoc fuisse unum ex memorabilibus, quae in Otton. 3. fuisse recitantur, nimirum, quod prudentia, & civilis utilitatis exemplum continet, in constituendo eo, ut penes Germaniae proceres solos jus eligendi Imperatoris esse Crantz.

Crantz. l. IV. Saxon. c. 25. Gail. observat. 21. n. 2. 17.

Thom. Michael. de Jurisd. Concl. 130. L. E. Bellarm. de  
Translat. Imper. c. 3. Cluten. Syll. rer. quotid. th. 24. L. B.

Mich. Sachse in der Käyser Chronick / in vita Otton. 3.

Vnde Georg. Sabinus de Otton. 3. ita canit:

Vt penes immensi nos tota potentia mundi

Semper & imperij gloria summa foret:

Regia constituit quibus est electio curæ,

Præcipuâ septem nobilitate Duces.

Teutonicaq; genus qui non ab origine ducunt,

Heredes vetuit nominis esse sui.

Legibus acceptum Germania debet Othonis

Ferre, quod imperij laudibus austra manet,

Et quod adhuc nostri viget integra gloria regni,

Gloria, Francorum quam peperere manus.

#### XXXIV.

Hanc sententiam meritò retinerem, nisi urgentissimæ rationes eam redderent suspectam. Constat enim 1. nullum historicum, qui tunc temporis vitam egit, & vetustiorum Imp. Electiones accurate descripsit, hujus constitutionis mentionem fecisse. Quippe nec Witichindus, neq; Luitprandus, neq; Lambertus, neq; Regino, neq; Marianus, neq; Otto Frisingensis, neq; Abbas Urspergenfis, neq; Siebertus, neq; Dithmarus Episcopus Martisburgensis ullum verbum hac de re scripserunt, intantum, ut Georg. Hahn in præsat. præfixa historiae Dithmari, non incommodè hac verba adjecerit: Bis hero inquit, iste bey den Historicis eine gewisse meinung gewesen/als wenn die Hochlöbliche Ordnung der Churfürsten/ von Ottonen 3. gestiftet worden were. Wann aber dieser vnserer author zur selbigen zeit gelebet/ Und kurz hernach pars consilij/ als ein Reichsfürste worden/ vnd gleichwol mit

C

keinen

z8 keinen Worte dessen erwehnet / ja auch dergleichen Ord-  
nung in der Wahl Heinrici Sancti keinesweges gespürer  
wird / möchte jemande nicht vnbillig daran zweifelen /  
zuvoarr weil er aufdrücklich meldet / daß Papst Gregori-  
us/welcher Kaiser Ottonis III. Vatter gewest / vnd diese  
Stiftung nach der andern Historien gemeinen bericht /  
soll bestetige haben / dem Kaiser feind gewesen / vnd ihme  
allerley widerwertigkeit bewiesen habe. Imò , quod pro  
2. fortius urget, aliquot Ottonis III. Successores non  
à septemviris solum , sed ab omni populo , etjam ci-  
vitatibus imperialibus fuerunt electi ; ita Heinricus  
II. Otton. III. Successor ab omnibus proceribus & sta-  
tibus imperij fuit electus ; vide Dithmarum l. V. ubi  
dicit : tempore Electionis Heinrici II. adfuisse omnes  
regni primates. Et Sigfridus Episcopus Coloniensis  
rogatus ab Heinrico , ut votum suum eidaret, respon-  
dit: Quò melior, & major populi pars se inclinaret, li-  
benter assensurum Dithmarus l. IV. Hinc aliquantò  
liberius , & à fide historicā alienius scribit Michael  
Sachse in vita Heinrici II. eum fuisse primitus electum  
à septemviris.

### XXXV.

De Cunrado Salico, Heinrici successore, oculatum,  
testimonium in medium potest proferri, ex historiā  
Wipponis Cancellarij ejusdem, qui actum Electio-  
nis vidit, & hisce verbis descripsit: Confedere Prin-  
cipes , populus frequentissimè astabat : Archiepi-  
scopus Moguntinensis, cuius sententia ante alios acci-  
pienda fuit, rogatus à populo , quid sibi videretur ,  
abundanti corde, hilari voce laudavit, & elegit ma-  
joris ætatis Cunonem suum, in Dominum, & regem,  
atq; rectorem, & defensorem Patriæ : Hanc senten-  
tiā cæ-

tiam cæteri Archiepiscopi, & reliqui sacrorum ordi-<sup>19</sup>  
num viri, indubitanter sequebantur ; Tunc singuli  
de singulis regnis eadem verba sæpiissimè repetebant.  
Fit clamor populi, omnes unanimiter in regis elec-  
tione, Principibus consentiebant, in illo persistebant,  
ipsum cunctis Dominantibus nihil hæsitando præ-  
posuerunt.

*XXXVI.*

De Heinrici III. Electione hæc verba habentu, a-  
pud Herman. Contract. Imperator Cunradus filium  
suum, Heinricum, magni ingenij, & bonæ indolis  
puerum, ætate 11. annorum, Principibus regni cum  
totâ multitudine populi id probantibus, à Peregrino  
Archiepiscopo Colonienſi, in regalem apicem, apud  
Aquisgrani Palatium sublimari fecerunt.

*XXXVII.*

De Heinrici IV. Electione eadem profert Her-  
man: Contract. Imperator Heinricus magno con-  
ventu habito, filium æquivocum à cunctis eligi fecit,  
eiq; post obitum suum, si rector justus futurus esset,  
subjectionem promitti fecit..

*XXXVIII.*

De Friderici I. Electione *vide Radewicum in gestis*  
*ejusdem l. 2. c. 1. ibi.* Confluunt ex omnibus regni  
partibus cum magnâ frequentiâ Archiepiscopi, Epi-  
scopi, multiq; alij Ecclesiastici viri, Duces, Mar-  
chiones, comites, proceres, & civitatum consules  
& judices : *Elegantissimè Gunth. l. 1. in Ligur. v. 186.*  
& seqq.

Huc sacri celebresq; viri, quos laude serenâ  
Insula, vel gladius mundo facit esse verendos,  
Ex omni regione fluunt, &c.

C 2

*Et ite-*

**28** *Et iterum?*

Saxones, & quorum ripuaria nomine tessas,  
Westphaliæq; urbes, & norica rura regentes,  
Allobrogumq; Duces coēunt; Cymbriq; feroceſ,  
Quæq; ſuas urbes huc direxere potentes,  
Claraq; Teutonici cojerunt nomina regni,  
Exacta ratione parant, eq; omnibus unum,  
Qui modō fit tanto ſuccedere dignus honoris,  
Præfeciffe ſibi celeri pietate laborant.

Et ibi *Cunradus Rittersh. in not. recte colligit, tunc temporis, sc. cum eligeretur Fridericus Barbarossa, Electionem adhuc fuisse penes omnem populum collocatam.*

**XXXIV.**

De Otton. IV. electione, factâ A. 1208. vide *Goldast. tom. 1. Constit. Imper. p. 287.* ubi aliquot Abbes Electioni adfuisse, ex eorum rescripto probat, *& Arnold. Abbat. Lubecen.* ubi ſimiliter testatur, eam esse ab omnibus peractam, hiſce verbis: *Indicta est curia in Halberstadt/ ubi convenerat maxima pars Prælatorum, & Principum Saxoniæ, & Thuringiæ, nec defuit Heribolensis Otho.* Omnes igitur Principes, qui convenerant, parivoto & unanimi consensu Ottonem in Romanum Principem, & ſemper Augustum elegerunt, in nomine Patris, Pilij, & Spiritus Sancti. Hocq; etiam conſitetur Michael Sachse ſibi contrarium in vita Otton. IV.

**XL.**

Vt autem nostram ſententiam proferamus, statuimus, hoc jus eſſe translatum ad Electores decreto Otton. IV. A. 1209. quod habetur apud Dn. *Goldast. Constit. tom. 3. f. 371.* hiſce verb. Imperatorum nullus hereditariam dignitatem vindicato; Principes Sex, Sacrior-

Sacri ordinis tres, Moguntinus, Trevirensis, & Coloniensis, Profani totidem, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxonie, & Marchio Brandenburgensis eum deligunto. Hifi discordes fuerint, Bohemicæ regem cooptanto.

L X I.

Aliter sentiunt Christoph. Lehman in der Speyerischen Chronic l. V. c. 17. Dn. Besold. Polit. l. 1. c. V. th. 30. Rittersh. d. l. Schönborn. l. V. Polit. c. 32. Buxtorff. ad A. 3. concl. 14. Arum. Discursu 3. ad A. B. th. VI. Anton. Cöler. de Jure Imper. Germ. concl. 45. & seqq. Bertram. de Comit. th. 29. Matth. Bortius in Synops. iur. Publici th. II. Bar. ex liber. Princip. ad Innocent. 3. sub A. 996. n. 57. & n. 62. ubi haec verba apponit: Ex his redarguas Hostiensem, dum interpretans decretalem illam cap. venerab. ext. de Elect. hos quos ipse Papa redarguit, existimavit, fuisse illos septem vulgatos ore omnium Electores. Nam ex his perspicue intelligimus, quam procul absit, ut temporibus Innocentij Papæ tertij septem tantum fuerint Electores, cum liqueat ex dictis Epistolis, omnes Imperij feudatarios Ecclesiasticos, Archiepiscopos, Episcopos, & Abbatess, & seculares Principes, Duces, Marchiones, comites, Barones legitimos esse habitos Electores Romanorum regis, Spangenberge in den Adelspiegel l. 10. c. VII.

X L I I.

Non immerito autem quis cum Onurph. Panvin. intratatu de Comit. Imperat. admirari potest, incredibilem illius seculi ignaviam, atq; in primis Germanie Principum inertiam, quod jus tantæ electionis sibi è manibus eripi permiserunt, atq; in septem tantum hominum

C 3

hominum

22 hominum potestatem, tantæ molis rem collocatam  
fuisse.

X L I I .

Cur verò numerus septenarius electus fuerit? Respondet *Camerarius Horar. Subcisiu. Cent. 3. c. 53.* Persuasum, inquit, illis fuit, septenarium & novenarium numeros, in hominum vitâ multum valere, perfectissimosq; præ cæteris esse. Et septenarij numeri tanta esse existimatur majestas, & divinitas, ut veteres Sacrum & venerandum eum appellarint *Bertram. de Comit. th. 30.* Aliam rationem adducit *Onurph. Panvin. de Comit. Imp. c. 9.* Propterea Electioni hunc numerum esse accommodatum, quod tribus Electoribus à reliquis tribus dissidentibus, quartus alterutri parti accedens, discordiam componere possit.

X L I V .

Quicquid sit, hic numerus septenarius ad tam strictam observantiam redactus est, ut cum Maximiliani I. Imperator Electores pertentaret, quò jus suffragij in Electione Imperatoris Archiducibus Austriae communicarent, nihil effecerit, ut scribunt *Hartmannus Maurus de Elect. Coroli V. Frekerus in not. ad lib. 2. c. 1.* Pet. Andlo, Daniel. *Otto d. e. X. p. 230. Cluten Syll. rerum quotidian. concl. 24. l. f.*

X L V .

Politici Electoribus Ecclesiastici propterea adjuncti fuerunt, inquit *Jul. Phlug. in orat. de Imper. Rom.* quò minus esset loci, in comitijs Imperatorijs ambitioni; Cum enim essent quatuor illorum, qui non solum suffragium ferre, sed etiam ipsum magistratum inire possent; his tres alij, qui suffragia quidem ferre, sed tamen eligi minime possent, eò quod Ecclesiastici essent.

essent ordinis, additi fuerunt, qui eò minus cupidita-**23**  
te pravâ se corrumpi, & transversum agi se pateren-  
tur, quod causam non haberent, cur diadema impe-  
ratorum ipsi ambirent.

*XLVI.*

Præterea constat, veteres in eâ fuisse opinione, sine  
Sacerdotum interventu nihil felici omni posse expe-  
diri, & tunc demum Imperium Romanum in portu  
consistere, si ex togatâ & armatâ militiâ constituere-  
tur, Pet. Heig. p. 2. q. 4. n. 61. Dn Matth. Steph. de Ju-  
risd. l. 2. p. 1. c. V. n. 18. Cluten d. concl. 24. l. f. Dan. Otto  
d.l. De hisce septemviris sunt notandi seqq. versiculi:

Moguntinensis, Trevirensis, Colonensis,  
Atq. Palatinus dapifer, dux portitor ensis,  
Marchio Præpositus Cameræ, Pincerna Bohemus,  
Hi sunt, qui faciunt dominum per Secula Sumnum.

*XLVII.*

Est autem hæc dignitas Electoria tanta, ut eidem  
Germania libertatem suam in hunc usq; diem salvam  
& uteunq; tectam extare, se debere facile agnoscat.  
Vnde etiam vocantur Sieben Leuchter/ durch welche das  
heilige Reich / in einigkeit des Sieben formigen Geistes soll  
erleuchtet werden: Item / Grundfeste vnd unbewegliche  
Seulen des H. Römischen Reichs / A. B. c. 12. Item / Edle  
Seulen A. B. t. 3. versu des Heiligen Reichs Zierde vnd  
Lob / auch die Käyserliche Ehre/ vnd gemeiner nuß / wers-  
den mit der Ehrwürdigen vnd Erleuchteten Churfürsten eins  
Hellenen willen vermehret / vnd in auffnehmen bracht/denn  
dieselben als Edle Seulen den heiligen Daw / der fürsich  
eigen Weisheit mit emsiger Gütigkeit unterhalten / mit  
welcher hülffe der Gewalt Käyserlicher Macht gesicheret  
wird.

48. Vnde

Vnde rectissimè Julius Phlugk in d. Orat. de Rom. Imperio, hoc honore, secundum Imperatorium atq; regium, nullum in Republicâ esse majorem, nullumq; excellentiorem asserit. Quod etjam evincitur ex decreto quodam Cæsareo , de dato 27. Julij A. 1599. cui seqq: verba inserta sunt: Dass der Churfürsten hoheit / vnd authoritet / mit eines Römischen Käyser's Gewalt vnd Hoheit / daher sic auch fleust / dermassen verbunden / dass eine ohne die ander nicht verschmälert werden / auch ohne die andere nicht bestehen kan / ja dass die höchste Würde der Churfürsten / damit sie für andern Königen vnd Potentaten gezieret / eben diese ist / dass sie einen Römischem Käyser / dessen hoheit / authoritet vnd Gewalt alle andere übertrifft / von der auch alle andere herfleust / zu wechseln haben.

Quod & notavit Schard. in tractatu singul. de Elec-  
tor. Principum, inquit, ac regum aliorum dignitas  
magna; hæc verò tantò major augustiorq; est; quan-  
tò imperiali fastigio propior, ejusq; quasi legitima,  
& ordinata creatrix esse censetur. Et Lutherus in sei-  
ner Eischrede c. 38. Die Churfürsten/ ait/ schreiben Könige  
ewer Liche/ vnd nicht ewer Gnaden/ denn sie seynd Könige  
gleich geachtet. Hincq; Warem. ab Erenb. Medita-  
ment. Pro fæder. l. 1. c. 2. n. 14. Electorem, ait, non-  
decet more mercenarij militis, ut se regi alicui ob-  
liget, cum Electores æquiparentur regibus, & sint  
columnæ atq; Imperij fulcræ.

Hic vehemens exsurgit quæstio: An rex Bo-  
hemæ sit revera inter Electores numerandus, &  
& semper

& semper certum quoddam habeat votum? Antiqui-<sup>25</sup>  
tus ejus præsentiam non fuisse necessariam, nisi dissen-  
tientibus reliquis Electoribus colligo ex supra citata  
constitutione Ottonis IV. latâ Anno 1209. Ibi: Hi si discordes  
fuerint, Bohemiæ regem cooptanto. Quò etiam refe-  
rendum, quod legitur in speculo Saxonico l. 3. art. 58.  
Der Schenke des Reichs sc. Rex Bohemiæ hat keine Wahl/  
darumb das er nicht Deutsch ist. Et apud Albericum Ab-  
batem Stadensem, qui historiam suam usq; ad annum  
1256. continuavit, hæc verba habentur: Ex prætaxa-  
tione principum, & consensu, eligunt Imperatorem  
Trevirensis, Moguntinus & Coloniensis: Et de secu-  
laribus Palatinus eligit, quia dapifer est; Dux Saxo-  
niæ, quia Mareschalcus; & Marggravius de Branden-  
burgk, quia Camerarius: Rex Bohemiæ, quia Pincerna  
est, non eligit, quia non est Teutonicus.

L. I.

Verum hoc esse mutatum arbitramur. A. C.  
1290. per Rudolphum I. Rom regem, & eandem vo-  
cem numero tertiam, sicuti alijs Electoribus, omnibus  
temporibus, Regi Bohemiæ esse attributam credimus.  
Vide constit. Rudolphi ap. Freher. tom. Bohem. c. 115. Dn.  
Goldast. constit. tom. 2. f. 85. c. 86. ibi: Extitit etiam  
dilucide declaratum, prædictum regem Bohemiæ, &  
suos heredes in Electione regis Romanorum, faturi  
Imperatoris, cum cæteris habere debere, ad similitu-  
dinem aliorum Electorum, eligendi plenarium jus &  
vocem. Apertius loquitur constitutio Ruperti, de Ju-  
re Electoratus in Romano Imperio, regibus Bohemiæ  
competente, quæ habetur apud Dn. Goldast. d. l. f. 91.  
& 92. Licet, inquit, de Juribus Serenissimi Principis,

D

Dn. regis

26 Dn. regis Bohemiæ, illustris Coelectoris, cōprincipiis,  
& collegæ nostri, nulla sit Juris seu facti dubietas,  
quia ipse ab attavis, proavis, avis, & progenitoribus  
suis, ad instar nostri, & quoramlibet aliorum Coele-  
torum Principum, in electione Romani regis, ad Im-  
perium promovendi, pleno jure fretus sit hactenus &  
fruatur; sicut hoc luce clarius semper apparuit ab eo  
tempore, cuius apud homines memoria non existit,  
tamen nonnulli filij tenebrarum, oculis cæcutienti-  
bus, à divinâ luce remoti, meridiana claritate palpi-  
tant, sicut in noctibus, & offendicula, laqueosq; præ-  
parant iniquitatis & sceleris, diabolicâ invidiâ sug-  
gerente, jugum veritatis deferre præ mole gravissimi  
ponderis coagulati mendacijs nequeentes; superipsis  
offendiculis corruunt, & suorum laqueis iniquorum  
conceptuum sese involunt, ut lucem tenebras judi-  
cent, & tenebras ipsam lucem. Igitur ad abundantioris  
cautelæ præsidium, ut præfato Serenissimo  
Principi Dno. Regi Bohemiæ, heredibus & successo-  
ribus suis, regibus Bohemiæ, in perpetuum securius  
caveatur, & omnes dubietatum amputentur calu-  
mniæ, & ne quibuslibet otiosè loquentibus mali-  
gnandi materia relinquatur, animo deliberato non-  
preferrorem, aut improvidè, sed multâ investigatione  
præviâ, & à multis veridicâ informatione recepta,  
maturo consilio, unâ cum universis alijs Coelectori-  
bus, cōprincipibus, & collegis nostris, tam Spiriti-  
tualibus, quam Secularibus, de certa nostra scientiâ,  
recognoscimus, dicitus, & dictante conscientiâ pu-  
blicè profitemur: Quod Serenissimi Principes, & il-  
lustres domini, Bohemiæ reges, ab atavis, proavis,  
& pro-

& progenitoribus suis, ab eo tempore, cuius apud ho-<sup>27</sup>  
mines, sicut præmittitur, memoria non existit, ha-  
buerunt continuò, habent, & habere debent, jus &  
vocem plenè & omnimodò ad instar nostri, & alio-  
rum comprincipum Coelectorum nostrorum, tam spi-  
ritualium, quam secularium, in Electione Romanorum  
regis, ad imperium promovendi, ita videlicet, ut quo-  
tiescunq; casus talis Electionis emerserit, Serenissi-  
mus Princeps, Dominus Rex Bohemiæ, qui pro tem-  
pore fuerit, ad celebrandam electionem ipsius solen-  
niter vocari debeat, & in Electione omnibus Juribus  
suis, voce videlicet & loco, & alijs quibuslibet  
ad hæc spectantibus, per se vel nuntios suos legiti-  
mos & Ambasiatores, & ad instar nostri, & omnium  
aliorum Principum, Coelectorum, & collegarum no-  
strorum, tam spiritualium, quam secularium, qui sunt,  
& qui fuerint pro tempore, sic cum omni reverentiâ  
& honore gaudere, sicut de jure, & more Sacri Imperij,  
Principes Electores talibus sunt freti retro-  
actis.

LII.

Quid? quod ipsa A. B. Caroli IV. Electori Bohe-  
miæ tertium in Electione votum specialiter conce-  
dit c. 4. §. 3. ibi: Tertiò à Rege Bohemiæ, qui inter  
Electores laicos, ex regiæ dignitatis fastigio, jure, &  
merito obtinet primatum, &c. Quò textu motus  
*Thuanus l. 2. Histor. in pr.* Nec minus, inquit, plerisq;  
suspectum est, quod vulgo itidem jactatur, regis Bo-  
hemiarum partes esse, ut paribus suffragijs interveniat,  
cum ei tertium in dicendâ sententiâ locum nomina-  
tum aurea Carol. I V. Bulla attribuat. Vndē & rex

28 Bohemiarum aliquoties ad Electionis actum, ijsdem, sicut  
aliij Electores, verbis vocatus fuit, vide ap. Dn. Gol-  
dast. in Politisch Reichshändeln p. 1. t. 1. citationem quan-  
dam de A. 1291. & ibid. t. V. Citationem ad Electionem  
Caroli V. ibi: Albertus Archiepiscopus Moguntinus  
ad Regem Bohemiarum &c. Durch euch selbsten/oder ewer  
Botschafften kommen/ an die Stadt wo das seyn soll/zubeo-  
denken / zu handeln / zuberathschlagen / vnd vber einzus-  
kommen mit andern ewern/ vnd unsern MitChurfürsten  
von der Wahle eines künftigen Römischen Königs. Et  
in Electione Ludovici Bavari tertio loco enumera-  
tur Johannes Rex Bohemiarum, & Brandenburgico præ-  
ponitur apud Heinric. Rebdorff. annal. 1314.

LIII.

Hinc cum in Electione Maximiliani I. regis Rom.  
Ladislaus Rex Bohemiarum præteritus fuisset, adeò non  
dissimulanter tulit, ut poenam A. B. acerrime postu-  
lare non cessaret, & arma minaretur, nec in gratiam  
redire vellet, nisi hāc conditione, ut remitteretur  
Regibus Bohemiarum jus illud, quò Imperatores Ro-  
manos in Personis comitari coguntur, aut D. CCC.  
Ducatos exsolverent. Refert hæc Hartmannus Mau-  
rus de Coron. Caroli V. ubi etjam addit, cautum tunc  
temporis fuisse, ut in futurum semper, quemadmo-  
dum alijs vocetur. Et ita rectè nobiscum sentiunt  
Thuanus d. l. Marq. Freb. ad. l. 2. c. 2. A. B. Buxtorff.  
ad A. B. th. 18. Dn. Arum. Discursus 3. ad A. B. concl.  
8. Dn. Dan. Otto amicus meus, de Jure Publico c. 10. f.  
252. & seqq. Cluter concl. 24. l. O. Dn. Bertram. amicus  
meus, de Comit. th. 31. Dn. Matth. Bortius c. 3.  
Jur. Publ. concl. 27. L. B. Dissent. Bald. in Margarita, Al-  
bericus

Bericus in l. benè à Zenone C. de Quadrien. Praescript. Gl. in 29.  
c. ad Apostolica de sentent. & re judicata, Hostiens. & Car-  
din. Florent. in c. venerab. De Elect. ipse Bohemica historie  
scriptor Joan. Dubrav. Episcopus Olomuceus l. VI. Additus  
tamen, inquit, Sex illis Principibus, postea rex Bohemus fuit,  
Elector Septimus ad tollendam discordiam, quæ inter pares  
numerò, pari suffragio concurrente, nonnunquam intercede-  
bat. Pet. de Andlo de Rom. Imp. l. 2. c. 2. De consuetudine,  
inquit, rex Bohem. ad Electionem non vocatur, nisi cum vo-  
ta aliorum sunt æqualia numero, & sic hodiè practicatur,  
Schönborn. Polit. l. V. c. 33. Platina in Gregor. V. Alva-  
rot. in c. 1. n. 9. t. Quis dic. Dux. Irenicus in Exegesi Ger-  
man. l. 3. c. 35. Spigel. in addit. ad Gunth. l. V. in pr.  
Crantz. l. IV. Saxon. c. 25. & l. 9. c. 26.

LIV.

Hoc etiam obiter admonendum, aliquoties regi-  
um nomen Duces Bohemiæ à Cæsaribus accepisse, :  
veluti Wenceslaus ab Ottone, M. Ulladislaus à Fri-  
der. I. Wenceslaus à Rudolpho I. vide Gunth. Ligur.  
l. VI. versu 446. & seqq.

Hoc quoq; conventu procerum, Dux ille Bohemus  
Fama Ladeslaum quem nominat, ob sua gesta  
Fortiter, & bello nuper spectata Polono,  
Ex Duce rex fieri meruit, gessitq; potenti  
Sceptra manu, cinxitq; novo diatemate crines, &c.  
Et ib. Rittersh. in not. En. Sylv. Hist. Bohem. c. 24. Cisn.  
in orat. de Ott. III.

LV.

Hocq; esse singulare Privilegium Imperat. Ro-  
mani, ut ub eo etiam exteri regales petant dignita-  
tes, scribunt Lancellot. de. J. Publico l. 1. c. 1. §. 4. f. 387.  
Begold. Polit. l. 1. c. 4. §. 3. n. 2. Dan. Otto d. l. c. XI. Ber-

D 3

tram

Bertram. de Comit. th. 16. Cluten. d. l. concl. 20. Eleg. Marq.  
Freb. in not. ad Pet. de Andloc. 8. p. 166. Sed & converso,  
inquit, direptoq; per Barbaras gentes Imperio, & ad  
illas angustias redacto, hæc tamen reverentia man-  
sit, ut ab eo tanquam summo, & primo, regales di-  
gnitates & tituli petendi viderentur.

LVI.

Hinc vehementer errant, qui ferè audent statue-  
re, Reges Bohemiæ non esse subiectos Imperio Ger-  
mano, quod latius refutant Buxtorff. concl. 88. Cluten.  
d. l. o. Dan. Otto d. c. X. Interim Comitijs & conven-  
tibus Imperij ordinarijs non intersunt, nec circulo  
alicui addicti, neq; contributionibus atq; oneribus  
Imperij obnoxij sunt Freherus d. l. Bertram. th. 31.

LVII.

De Electoribus collegialiter consideratis I.  
quæritur, An ijs liberum & integrum sit, vel in pro-  
priâ Persona comparere, vel procuratores, etiam nul-  
lo justo existente impedimento, mittere? N. per expr.  
text. in c. 25. A. B. S. Quandocunq; ibi: Justo impe-  
dimento detentus & c. 42. de Election. in f. ibi: Illud  
autem penitus interdicimus, ne quis in Electionis  
negotio Procuratorem constituat, nisi justo impedi-  
mento detentus venire non possit, super quo, si o-  
pus fuerit, fidem faciat Juramento &c. Et ita obser-  
vatum fuit A. 1292. vide Goldast. in replic. pro Imperio,  
ubi Archiepiscopus Moguntinus Gerhardus: So ha-  
ben/inquit/die Männer des Königs aus Böhmen/ das er  
zu dieser Wahl eines Römischen Königs selbsten Persö-  
lich / aus Ehehafften nicht erscheinen können/ mit ihren  
Eyde befreifiget/ vnd erhalten. Et ita statuunt Buxtorff.  
concl. 22.

concl. 22. Dan. Otto c. 10. f. 258. Dif. Arum. Disc. 1. ad 3.  
A. B. concl. 27. Dn. Bertram. de Comit. tb. 2.

LVIII.

2. Quæritur, An non modo aliquem de collegio,  
sed etiam extraheum invitatis reliquis, Procuratorem  
constituere possint? Jus canonicum præcisè requirit  
Coelectorem, d. c. 42. de Election. ibi: uni committat de  
ipso collegio vicem suam, propterea, quod haud con-  
sultum videatur, tam illustris Collegij arcana in  
extranei cognitionem devenire: Attamen textus A.  
B. etiam extraneos admittit d. §. Quandocunq; ibi:  
Nuntium, vel Procuratorem cuiuscunq; dignitatis vel Sta-  
tum &c. Et ita in Electione Caroli V. Matthiae, & no-  
viissimè D. Ferdinandi 2. nuncij extranei fuerunt ad-  
missi Dn. Arum. d. concl. 27. Buxtorff. d. concl. 22.  
Dan. Otto d. l. Interim tamen caveat Elector able-  
gans, ne cum Ludov. XI. Galliæ rege irrideatur, qui  
olivarium tonsorem, splendidissimo legationis mu-  
neri, in Burgundiaca domo obeundo, adhibuerat  
Comin. l. 8.

LIX.

3. An Procuratori mandatum, ut certam perso-  
nam eligat, dari possit? Sanè Waldemarus Marchio  
Brandenburg, nobili cuidam legato suo, in manda-  
tis dedit, ut certam personam, nempe Frideric. Au-  
striacum eligeret, cumq; is neglecto Principis sui  
mandato, Ludovicum Bavarum elegisset, in carec-  
rem eum detrudi, & enecari fecit, referente Crantzio  
l. 9. Saxon. c. 8. Sed de jure A. B. hoc rectè negatur,  
per §. 18 c. 1. A. B. ibi: Nuncios destinare cum plenâ &  
omnimodâ potestate & §. 21. ibi; Plenamq; & liberam, ac  
omnime-

320 in modam potestatem continentibus, vide etiam Buxtorff,  
concl. 23, per tot.

LX.

Hoc loco corollarij adjiciemus, Pontificiam sententiam, quâ volunt, quod Lutherani Electores tanquam heretici, Imperatorem eligere nequeant, esse, falsimam. vide Thuan. l. 21. Histor. ubi scribit: Pontificem propterea Electionem Ferdinandi improbase, quod ab hominibus, pravitate hereticâ infectis, gesta sit, qui omnem gratiam & potestatem amiserint. Et apud Dn. Goldast. in den Politischen Reichshändeln p. V. c. 2. responsionem Ferdinandi ad Pontificem his verbis: Er erkenne auch, daß kein Lutherischer Fürste macht habe einen Imperatorem zu erwählen / daß er aber die Election von den Lutherischen Churfürsten angenommen / habe er nicht allein für seine selbst eigene Person gehan / auch nicht vmb seines eignen nuhes willen / sondern allein von wegen der Wolsfahrt der Römischen Kirchen / denn er per Juramentum affirmiren könne vnd müge / daß er solches allein darumb gehan / ut possit castigare hæreticos Principes. Auch habe nicht sollen noch wollen diese occasionem negligirn, dieweil ihme seine feinde das Schwerde selbst in die Hände gegeben / dann wo er solche Election nicht angenommen / möchten sie einen Lutherischen Principem darzu erwählet haben / dadurch sic frech vnd stolz warden / vnd weren auch dadurch mehr gesiert worden.  
Sed hanc sententiam esse rei ciendam, indubitatum esse credimus, per totam constitutio-  
nem pacis religiosæ.



AD NOBILISSIMUM ET LITERATISS.  
DN. HEINRICUM CHRISTOPHORUM  
à Griesheim

TE simul ac genitrix à puro flumine lactis  
Depulit, ut solidis perfruerere cibis.  
Te simulac puerum morum studiumq; palæstra,  
Suscepit, mentem perpolijtq; tuam,  
Juppiter, emissā Mercuri voce, Dearum  
Convocat ad solium Numina sancta suum.  
His mora nulla, vocata volunt Jovis ante tribunal,  
Grishemius medio lusitat ipse loco.  
Juppiter e solio tum sic orditur ab alto:  
De lepida hac mentes prodite prole D E A.  
JUNO probat pectus, membrūm VENUS alma figuram,  
Ingenium P ALLAS, judiciumq; THEMIS.  
JUNO spondet opes, Venerem VENUS alma nitentem,  
Sed P ALLAS Sophiae munera, Jura THEMIS.  
Quò magis aspiciunt, hoc inflammantur amore,  
Majori pueri, pectore penè viri.  
JUNO prima, secunda VENUS, tum tertia P ALLAS,  
Ultima donatum possit habere THEMIS.  
Discordes animos, hominum sator atq; Deorum  
Nititur aequali conciliare viâ:  
Primò ut ei P ALLAS Sophiae munuscula fundat,  
Dein' THEMIS assiduâ jura propinet ope.  
P ALLADOS ut primò, THEMIDOS dein', postmodò Diva  
JUNONIS, VENERIS deniq; totus eat:  
Res ita successit: Sophiae tibi munera P ALLAS,  
Suppeditavit, opes Juris amica THEMIS.  
Hinc Juris privi tibi sola scientia non est,  
Publica cum fructu sed quoq; Jura doces.

Exemplum

Exemplum rarum & charum ! quod stremmate natu  
Nobilium, tantâ cum gravitate docet  
Discere sufficiens quando est in stremmate tali,  
Hoc charum, clarum laude, docere tuum est.  
Macte isthoc genio ! quos JUNO spondet honores,  
Et quas spondet opes , ilicet illa dabit.  
Fuleris Imperij ut fias nobile fulcrum ,  
Perque horum celebres , res tua crescat , opes.  
Pollicitis VENUS alma suis quoq; stabit amenis ,  
Ut cubet in thalamo pulchra virago tuo.  
Ut per te crescat numerosâ prole , beatis  
Quæ crescit titulis Grishemiana domus.

2.  
Dum Romanae Aquila sublimia jura capessis ,  
Quin sic prorumpam , quis prohibere velit ?  
Ut JOVIS it reliquis avibus sublimior ALES ,  
Et solis radios lumine ferre potest :  
Sic tu Nobilibus reliquis sublimior ibis ,  
Et Sacri Imperij pondera ferre scies.

3.  
Cur Goldastus amor tuus est ? Patronus ? amicus ?  
Cur scripto celebras , voceq; tollis eum ?  
Aurea scripta dodit , quibus aureus audit & uno  
Nomine gaudetis penè , probabo lubens :  
Nominis ipsius pars fulvum denotat aurum ,  
Prora tui in legitat nominis illud idem .  
Nam xodus est Græcis aurum ; sis aureus ergo ,  
Goldasti vias æmulus usq; legas.

Amicitiae causa apponebat

SIGISMUNDUS DURFELD Hala Saxe.



DISSERTATIO II.

DE S. ROMANO-GER=  
MANICO IMPERIO,

*De Juramento Electorum, in quo præcipue tracta-  
tur de Personis, Imperatoriâ majestate dignis;  
Et de loco Electionis.*

RESPONDENTE

LUDOLPHO à Münchhausen / Equite,  
Schaumburgico.

 Vantò meliores, uberioresq; fructus ca-  
piendi erant ex dignitate Imperatoriâ, tan-  
tò diligentius caverunt majores nostri, ne  
ad eam minus idonej obreperent, teste  
*Jul. Phlugio in Orat. de Republ. German. ordin. p. 24.*  
adeò ut etiam Electores juramento tenerentur con-  
firmare, quod velint secundum omnem discretionem  
& intellectum eligere regem, qui ad hoc existat  
idoneus per c. 2. A. B. Quænam verò Personæ di-  
gnæ sint hac majestate, omnium elegantissimè ex-  
plicat *Gunth. Ligur. l. 1. De Electione Friderici I. agens.*

— Nunc hos, nunc protinus illos  
Inspiciunt, versantq; diu, moresq; genusq;  
Ingenium, famam, fortune simplicis usum.  
Eventum, finemq; simul, quæ commoda regni,  
Inde fluant, quæ damna sui; Judexne severus,  
An facilis, pius,anne ferox, largitor honestus,  
Anne rapax, pacem portendat, an arma minetur?  
Omnia sollicito curarum examine pensant,

E

Et ite-

*Et iterum paulò post:*

Nobilitate viget, claroq; hinc sanguine reges  
 Inde Duces contingit avos: facundia dulcis;  
 Forma nitens, animusq; sagax, manus impigra, sollers.  
 Consilijs, belloq; ferox, & pace modestus,  
 Mente senex, ætate puer, prudentia rerum.  
 Certus amor, robusta fides, constantia mentis,  
 Nec frangenda malis, nec sustollenda secundis;  
 Laudis amans, largitor opum, crudelibus atrox,  
 Tranquillus placidis, ferus, indomitusq; superbis;  
 Supplicibus facilis, justis pius, asper iniquis,  
 Fortis ad instantes casus, prudensq; futuri,  
 Præteritiq; memor, socijs bonus, impius hosti.  
 Hæc sunt ò Proceres, hæc sunt quæ regna tueri,  
 Ac munire soleant, his artibus infima crescunt;  
 Maxima servantur, ni fallimur artibus istis, &c.

## II.

Et Fridericus sapiens Elector Saxonie, in con-  
 ventu Electorum, hoc æternâ memoriâ dignissi-  
 mum consilium protulit: Non esse in legendô Impe-  
 ratore rationem habendam divitiarum, non esse  
 familiae potentioris, sed potius earum virtutum, quæ  
 Imperij administratio in Principe maximè deside-  
 ret; Esse verò, licet electus minoribus opibus & fa-  
 cultatibus sit, communî auxilio & subsidio, apum  
 exemplo, quæ regi suo alimenta comportent, ne vi-  
 ris, & viribus ullis destituatur juvandum, Kîrchn. de  
 Republ. disp. IV. th. 3. l. B. Regnorum enim fortuna  
 & Status, virtuti paret regnantium, & tantum regni  
 eujuslibet gloriam ampliari posse non dubites,  
 quantum in Principe virtutis esse cognoveris, Hugo  
 Faleand. lib. de rebus Sicul. in laudibus Rogerij regis.

## III.

Primo autem requirimus, ut Imp. verâ pietate  
 sit prædictus. Namq;:

Cum

Cum pietate timor Domini virtute coruscans,  
Nobilitat plus, quam stemmave, gemma virum.

Vnde querunt Pontificij, anne etjam Lutherani  
ad hanc dignitatem aspirare possint? Et communis  
niter negativam sententiam amplectuntur, eò quod  
Imperator Romanus debeat esse advocatus Ecclesiæ  
Romanæ, uti latius docent Pet. de Andlo de R. f. l. 2.  
e. 16. Lancell. d. l. §. 2. q. V. Sed nos cum Buxtorff. concl.  
20. ad A. B. l. d. Putamus, Protestantes absq; ullo  
dubio esse idoneos, per constitutionem pacis religio-  
sa de Anno 1555. §. Damit auch / in quô omnes Eccle-  
siasticæ censuræ erga illos suspensiæ sunt.. Deinde  
cum sint habiles activè, exinde facilè colligitur, eos  
etjam esse habiles passivè.

#### IV.

Deinde requirimus, ut sit justiciæ observator  
religiosissimus. Justicia enim est anima civitatis, Lan-  
cell. d. l. non demens, sed prudens; non abjectus, sed  
maganimus, & ut uno verbo omnia comprehendamus,  
omnibus in Principe requisitis virtutibus de-  
coratus, De quibus vide latius Keckerman. Polit. l. i. c. 2.  
& 3. Pet. Gregor. de Republ. l. 10. c. 2. Patric. de Regis  
Instit. l. VI. & VII. Osor de Reg. Inst. per tot. Schönb. l. 2.  
c. 22. & seqq. Spangenb. in speculo Nobil. parte primâ l. VI. &  
aliquot seqq. Daniel. Ott. l. i. c. 8. & seqq.

#### V.

Hic etjam queri solet, an noster Imperator de-  
beat esse eruditus? Sanè egregiam laudem oblitera-  
rum cognitionem affecuti sunt, Carolus M. Ludo-  
vicus II. Otto II. Fridericus II. Carolus IV. Maxi-  
milianus I. Carolus V. & Ferdinandus Romano-Ger-  
manici Impp. Hoc enim certò statuendum est, Deum  
E 2 non con-

36 non condidisse regna, ut gubernarentur ab hominibus ineptis & stolidis, inquit *Comin.* l. 2. *Histor.* Hincq; Uladislaum Bohemiæ regem dixisse ferunt, non vide ri sibi hominem, nedum Principem, qui litteras signaret *Æn. Sylv.* l. 3. *Histor. Bohem.* Et *Chassan.* parte V. de gloriâ mundi considerat. 10. Princeps, inquit, illiteratus, est asinus coronatus. Et Alfonlus Arragoniæ rex, audiens in Principe litteras improbatas esse à rege Hispaniarum, dixit, Bovis istam esse vocem, non hominis. Hincq; *Eneas Sylvius postea Pontifex factus Pius 2. nominatus*, dixit: In plebejo homine doctrinam argento, in nobili, auro, in Principe aut rege, meris gemnis æquiparari posse.

VII.

Est enim omnino imperij ars maxima secundum *Chrysost. homil.* is. quam artem sine doctrinâ non potes exercere. Et *Xenophon* l. 1. de *Inst. Cyri*: Omni, inquit, animali facilius imperabis, quam homini, ideo sapientissimum eum esse oportet, qui hominem regere velit. Et *Veget.* in *Praefat.* l. 1. de *Re militari*: Nullus est, cui sapientia magis conveniat, quam Principi, cuius doctrina omnibus prodesse debet subjectis. Vide etiam *Dn. Arum. Disc.* ult. *concl. fin.* ad *A. B.* & *Keckerm.* d. l. f. 62. & seqq. *Dan. Ottho d. c. 8. f. 174.*

VIII.

Præterea etiam ætatis ratio habenda est: Namq; Dij avertant, Principes pueros, & Patres patriæ dici impuberes, & quibus ad subscribendum magistri litterarij manusteneant; quos ad consulatus dulcia & circuli, & quæcunq; voluptas puerilis inviteret; Et secundum illud *Baldi*; Plus valet umbra senis, quam gladius

gladius juvenis. Interim tamen habemus plurima 37  
exempla, Imperatoribus quibusdam gubernacula  
reip. commissa esse, qui nondum maturam ætatem  
affecuti sunt, veluti Ottoni. III. admodum puer, A.  
ætatis 12. Otto Frising. l. VI. c. 26. Abbas Ursperg. &  
Mich. Sachse in vita Ott. III. Lehman in der Speyeris-  
chen Chronick l. V. c. 13. Peuc. Chron. l. IV. in Ott. III.  
Spangenb. in Chron. Mansfeld. c. 150. Crantz. Saxon. l. 4.  
c. 22. Heinrico 3. A. etat. II. Lehman in der Speyerischen  
Chronick c. 21. Pezelius Mellif. Histor. p. 3. f. 180. Mich.  
Sachse in vita ejusdem. Heinrico 4. A. etat. 4 secund.  
Mich. Sachsen in vita ejusdem, vel anno 5. secundum  
Spangenb. d. l. c. 176. vide & Peucer. d. l. f. 557. & Pezel-  
um d. l. f. 195. Friderico, 2. anno 20. Munst. l. 3. Cos-  
mogr. in vita Otton. IV. Pezel. in Mellif. Histor. p. 3.  
c. XVI. in f. Mich. Sachse in vita ejusdem. Wences-  
lao A. ætatis 15. Cuspin. in vita Caroli IV. Mich.  
Sachse in vita Wenceslai, Lehman in vita ejusdem. Carolo  
V. anno 19, vide Peucer. & Mich. Sachsen in vita ejus-  
dem, vel A. 21. ut vult Sleid. l. 1. de statute relig.

### VIII.

Forsan hoc accommodari potest, quod alibi scri-  
bit Cicero: Ab Excellenti eximiâq; virtute, progres-  
sum ætatis expectari non oportere, itaq; maiores  
nostri admodum antiqui, leges annales non habe-  
bant, quas multis annis post attulit ambitio, ut gradus  
essent petitionis inter æquales, ita sœpè magnâ indo-  
les virtutis priusquam reipublicæ prodesse potuisset,  
extincta fuit. Et verisimilis eqq.

Canevant alij mento, nos mente; capillo;  
Nos animo; facie, nos pectore, tempora quippe  
Virtutem non prima negant, non ultima donant

E 3

Non enim

Non enim ætate, verum ingenio adipiscitur Sapientia, ut ait Plautus in Trinummo: Neq; secundum Ambrosium annorum canities est laudanda, sed morum:

Canities veneranda, cui mens provida juncta est,  
Hac sine longi ævi est opprobrium illa magis.

## IX.

Vlterius augustam Imperatoris personam, augustum decet corpus, tum ut omni genere virtutum, tam corporis, quam animi eos superet, quos Imperio superat; tum ut externa corporis species indicium præbeat pulchri & concinni animi; tum deniq; ut subditos ad majorem venerationem, & reverentiam ista externâ, & in oculos incurrente spectabilitate corporis, atq; majestate commoveat. Experientia, enim testatur, in pulchris & firmis à virio, vel notâ externâ, corporibus, plerumq; egregiam mentem, & raras virtutes latere Camer. Medit. histor. cent. 3. cap. 41. Hincq; Augustinus: Gujus, inquit, facies deformis est, vix potest habere bonos mores. Et secundum Castilioneum in Aulico suo l IV. Statura pulehra est trophæum, quod viætrix statuit anima, quando divina natura vincit materiam, & suo lumine corporis discutit tenebras. Curt. l. V. Plerisq; gentibus, inquit, in corporum majestate veneratio est, magnorumq; operum non alios capaces putant, quam quos specie eximiâ, & egregiâ donare, natura dignata est. Hinc illud Germani: Man hütte sich vor deme / den Gott vnd die Natur gezeichnet hat.

## X.

Magnoperè etjam observanda est familia: Quia nobilio.

nobiliores præsumuntur habere majora semina virtu- 39  
tis, & esse procliviores ad impetus heroicos? Namq; :

Fortes creantur fortibus & bonis:

Est in juvencis, est in equis Patrum

Virtus, nec imbecillem feroce

Progenerant Aquilæ columbam.

*Et aliis.*

Est aliquid clarus magnorum splendor avorum:

Illud posteritas æmula calcat habet.

Scilicet ut nullus tantus sit degener actus,

Maganimum pectus strenua facta movent.

#### XI.

Vnde etjam in privilegijs nobilium habetur,  
quod ad dignitates & officia magis sint assumendi,  
vide Pet. Fritze de Nobilitate concl. 22. l. f. & seqq. Et  
ita in nostro imperio hucusq; jugiter observatum est,  
atq; nemo admissus fuit, qui non ad minimum co-  
mes fuerit, teste Buxtorff. ad A. B. concl. 31. l. A. Dan.  
Otto d. c. 8. Exempla nota sunt in Wilhelmo, Rudolpho,  
Adolpho, & Gunthero.

#### XII.

Hic commodè posset quæri, cur hucusq; tot  
Imperatores ex solâ familiâ Austriacâ delecti fue-  
rint? Sanè ex Goldast. in Præfat. constitut. Imper. con-  
stat, duodecim Imperatores ex hac illustrissimâ fami-  
liâ fuisse desumtos, adeò ut non injuria Fridericus II.  
dixerit, Austriam fore cor, & clypeum S. R. Imperij.  
Et ex parte suspectam visam fuisse hanc sèpius repe-  
titam Electionem protestantibus, patet ex conditio-  
nibus Cæsareæ majestati ab ijsdem oblatis, inter quas  
etjam hæc habetur: Dass hinfäro ausz keinen Fürstlichen  
Hause / drey Könige nach einander erwählct oder genom-  
men sol-

40 mensollen werden / damit die Freyheit oder Wahl der Per-  
soenen halben / nicht in eine versährung oder Gerechtigkeit  
geführt werden müge / Resert celeb. Dn. Goldast. in den  
Politischen Reichshändeln p. 2. t. IV. Rationem hujus  
sæpius iteratæ Electionis hanc reddit Carolus V.  
apud Sleid. l. VII. quod eorum fines atq; regna, jam  
sunt veluti murus aliquis, pro salute totius Germaniæ,  
oppositus immanitati Turcicæ. Interim tamen ne-  
quaquam dicendum est , electionis libertati per hoc  
præjudicium creari. Namq; in omnibus capitulatio-  
nibus, novi Impp. sancte tenentur promittere, quod  
velint sartam tectam relinquere electionem , neq; in-  
ullo præjudicare Electoribus, vide capitulationem  
Ferdinandi, apud Dn. Goldast. Politischer Reichshånd-  
del p. V. t. 1. f. 103. ibi : Und insonderheit sollen vnd  
wollen wir vns auch keiner succession oder Erbschafft des  
offternanten Romischen Reichs anmassen / vnderwinden /  
noch in solcher gestalt unterzichen / oder darnach trachten  
auff vns selbst / vnsere Erben vnd nachkommen / oder auff  
jemandt anders unterstehen zuwenden / sondern wir dero  
gleichen vnsere Kinder/ Erben / vnd nachkommen// die ges-  
meldte Churfürsten / ihre nachkommen / vnd Erben / zu  
seglicher zeit bey ihrer Freyen Wahl vnd vicariat / wie  
von alters hero auff sie kommen/ die Guldene Bull/ Väbst-  
lich Rechte / vnd andere Gesetz oder Freyheit vermügen/ ge-  
rühig bleiben / vnd ganz unbedränget lassen. Wo aber  
darwider von jemandes gesuchet / gethan / oder die Chur-  
Fürsten in deme bedrungen würden / daß doch keines weges  
seyn sollte/ das alles soll nichtig seyn / vnd dafür gehalten  
werden.

### XIII.

Hoc etjam indubium est , Clericos omnes & fin-  
gulos

gulos ab hac dignitate excludi, per expr. textum in 41.  
Landt vnd Lehenrecht l. i. c. 22. ibi: Ex soll nicht seyn Man/  
als der Pfaffen Fürstenman. Et gl. ad c. 21. Lehenrechte  
hanc addit rationem, daß sie shren Heerschilde nidergelegt  
haben / mit der Phaffheit. vide Buxtorff. concl. 31. l. b.  
Dan. Ott. d. c. 8. f. 172. Vnde quæri posset, Quid sit  
dicendum de Administratoribus Episcopatum, vel  
Archiepiscopatum conjugatis? Hosce admittimus  
hac ratione, quia non Clerici sunt, sed laici, neq;  
officijs Ecclesiasticis præsunt, neq; rebus Ecclesiæ le  
immiscent, nisi quatenus id magistratui politico per  
missum, & in hujusmodi Prælaturis ea tantum sibi  
vendicant, quæ olim contra jus & æquitatem Eccle  
siastici secularibus magistratibus eripuerunt.

XIV.

Quid igitur statuendum de Magistris Teutonici,  
Hierosolymitani, Rhodiensis, Melitensis, & simili  
um ordinum? Nos etiam hosce inhabiles pronuncia  
mus, propterea, quod certissimum sit, eos esse per  
sonas religiosas, & Deo dicatas. Alciatus vol. 1. responso  
29. n. 6. Menoch. de arbitrar. Judic. question. cap. 231. n. 5.  
quæ tenentur sacra peragere, & officium dicere, cer  
toq; cuiusdam religionis ordini sacro mancipatae,  
puta religioni S. Johannis, S. Augustini, S. Francisci  
Volateranus l. 21. Vult. l. i. c. 9. n. 67. Fachin. 7. Controv.  
36. Bocer. de Jure succed. in feud. c. 3. q. 16. Item dicun  
tur regulares, quia profitentur castitatem, paupertate  
& obedientiam, quæ tria vera sunt, & substan  
tialia requisita veræ & regularis religionis, cap. cum  
ad monasterium, de Statu Monach. & canon. regul. unde etiam  
crucem tanquam insigne professionis gestant. Latè Schönerus

F

disp. 6.

42 disp. d. feud. th. 119. l. b. Hartm. Pift. l. 2. q. 33. n. 22. Al-  
var. in c. 1. n. 9. De vasallo milite, qui armia bellica depo-  
suit. Gothof. Anton. disp. feud. 6. th. 9. Hun. resol. feud.  
c. X. f. 255. Disß. Forst. tract. de Succesß. l. IV. c. 23. n. 29.  
Rosenth. c. 7. concl. 30. n. 9. & seqq. Schrad. p. VII. c. V.  
n. 30. Sonsb. de feud. p. 9. n. 155. Ruding. controv. feud.  
l. 1. q. 87. Zabel. disp. feud. 6. concl. 7.

XV.

Quid verò si abdicaverint se clericatu, & denuò  
laici sint facti. Nos neq; hosce admittimus per expr.  
text. in t. 30. l. 2. F. ibi: Etijam si posteaquam habitum re-  
ligionis assumserit, postpoluerit Hartman. Pistor. d.  
q. 33. n. 17. & seqq. Vult. d. n. 67. Schöner. d. l. th. 118. vi-  
de etjam de hac quæstione Andr. de Isernia, Matth. de Aſſe,  
& alios in d. t. 30. l. 2. F. Bocer. d. l.

XVI.

Elegantissimè Lipsius, sicuti, inquit, signum est  
funeris, quando vespillones in domum quandam  
veniunt, ita Reip. labentis est nota, ad quam fulcien-  
dam adhibenit peregrini: Vnde descendit nobilissi-  
ma ista quæstio; An Electores Principem non Ger-  
manum eligere in Cæsarem valeant? Quod rectè ne-  
gant per cap. venerab. extra de Eleciton. Abbas, Panor-  
mitan. ib. Pet. de Andlo de R. f. l. 2. c. 3. & ibi Marq. Freb.  
in. not. En. Cardin. in Europâ c. 38. Est, inquit, Imperium  
apud Germanos nunc eo modo, ut nemo imperare posset nisi  
Germanus, Coler. de Jure Imp. Romano German. concl. 35.  
Bellarm. l. 1. de Transl. Imp. c. IV. Heig. q. V. p. 1. p. tot.  
Matth. Steph. de Jurisd. l. 2. p. 1. c. 1. memb. 1. n. 84. &  
seqq. & c. V. n. 46. latissimè Arum. de Jure publico discursu 6.  
Mich. Schifferer de Elect. concl. 33. Pet. Fritze de Nobilit.  
concl. 18.

concl. 18. Bortius in *Synopsi juris publici* concl. 23. Hensk. 43  
disp. Polit. IV. th. 20. & th. 34. Schonb. l. V. Polit. c. 33.  
Lancellot. de *Jure Publico* l. 1. c. 1. q. 3. n. 16. & 45. Clap-  
mar. de *Arcan. rerum publ.* c. 19. Alth. Polit. c. 19. Kirchn.  
de *Republ.* disp. IV. th. 3. l. c. Besold. *Disputat. Nomicopol.*  
de succēs. & Elect. l. 2. *Dissert.* 1. n. 6. & seqq. & Polit. l. 1.  
c. V. n. 34. Buxtorff. ad A. B. concl. 31. l. d. Daniel Otto  
de *J. Publ.* c. 8. p. 164. & seqq. Hucq; pertinet gravissi-  
ma illa Electorum Imperij, super Carolo V. & Fran-  
cisco eligendo disceptatio apud Sleid. de statu relig. l. 1.  
Et contra Franciscum hoc præcipue à Moguntino  
movebatur, quod non esset, Germanus : Legibus,  
inquit, Elector Moguntinus ibid. nostris, & jureju-  
rando nos arbitror impediri, quibus cautum est, ne  
decus hoc imperij transferatur ad exterros. Et ibidem  
Elector Trevirensis : Nunc autem, inquit, quando  
peregrinos evocamus, quid aliud, quam servitum  
nobis comparamus ipsi. Legisq; à Moguntino alle-  
gatae, Trevirensis hanc opinatur esse rationem, atq;  
fundamentum: Ne si quis eligeretur externas, &  
qui domicilium non habeat in Germania fixum, im-  
perij decus hoc sensim ad alienigenas transferatur.

XVII.

Quando autem hæc fundamentalis imperij lex  
fuerit lata, nondum explicatum est? Bodinus l. V. de  
Republ. c. V. putat, Carolo V. mortuo, id demum  
factum esse: Philip. Melanchthon. l. IV. in Ottone 3.  
Spangenb. in Chron. Mansfeld. c. 154. Munst. l. 3. Cos-  
mogr. in Gregor. V. Heinricus Mutius l. 14. Chron. f. 107.  
Coler. de *Jure Imper. German.* Sect. 35. Mich. Sathse  
in vita Otton. 3. Chron. Hirsaug. Pezel. mellif. Histor. p. 3.  
F 2 c. 4. Kirchn.

44 c. 4. Kirchn. de Republ. disp. 4. th. 3. l. c. Cuspin. in Ott. 3  
putant, ab Ottone III. hanc sanctionem esse institu-  
tam. Vnde Sabinus de Ottone 3. canit:

Teutonicaq; genus qui non ab origine ducunt,  
Heredes vetuit nominis esse sui.

XVIII.

Quod an ita se habeat, suspectum reddunt ex-  
empla Alphonsi & Richardi, qui longè post Otto-  
nem 3. fuerunt electi, non obstante eo, quod ex Ger-  
mania originem deducere nequirent. Interim ta-  
men etiam constat ex Chron. Hirsaev. eorum nomen  
& memoriam cum sonitu perisse, secundum illud  
vulgare:

Magnum nomen ei, gratia nulla rei.

XIX.

Sanè hæc consuetudo absq; dubio pro conser-  
vatione imperij maxime necessaria videtur, teste Pet.  
de Andlo d. c. 3. Quod egregie explicat illustris comes  
Hermannus Nuenarius, in oratione ad Electores pro Ca-  
rolo V. Eligendus, inquit, à vobis Imperator, qui ex  
Germanicâ natione sit oriundus, neq; hoc solùm, ve-  
rum etiam qui ipsam linguam, moresq; ac illum ma-  
ganimus & generosum spiritum, ex incunabulis hau-  
serit, id ego non solum prudenter à vestris majoribus  
constitutum fuisse, verum etiam à vobis diligenter  
observandum esse, pronuntio, Tom. I. scriptorum  
Freheri.

XX.

Vix enim ulla natio est, quæ diu ferat peregrini-  
num Principem; Et licet Princeps aliquis externus  
rem benè gerat, & commodè gubernet, tamen quia  
moribus,

moribus, & ingenio differt, nec eam erga populum 45  
repræsentare potest benevolentiam, faciles oriuntur  
dissensionum occasiones. Itaq; fit, ut ille, quò Prin-  
cipatum ad se delatum, suasq; fortunas tueatur, ali-  
unde militem, & copias adducat, eorumq; se præsi-  
dio muniat, qui beneficijs deinde singulariter ab eo  
& honoribus aucti, magnam multitudinis invidiam,  
& odium in se concitare. Quocirca qui externæ  
alicujus gentis imperium suscipit, nisi magnâ quadam  
& eximiâ præditus sit dexteritate, multis haud dubiè  
& longè gravissimis implicabitur difficultatibus;  
*Verba sunt Cominai l. 8. Histor. inf.*

XXI.

Et secundum Tolosanum de Republ. L. VII. c. 4.  
Princeps alienigena vult conformare mores subdi-  
torum suorum, juxta id, quod usitatum est in ipsius  
patriâ, sicq; rem publicam non emendabit, sed perdet.  
Atq; secundum Keckerman. l. 1. Polit. c. 2. contumelio-  
sum valde esset, & cederet in contemptum gentis Ger-  
manicæ, si exterum Principem querat, quasi ita no-  
vercam habeat patriam, ut neminem producat tam  
excellenti virtute prædictum, qui dignus sit, qui ad  
gubernacula patriæ admoveatur.

XXII.

Hinc & in Ecclesiasticis dignitatibus, tam pri-  
vilegijs, quam consuetudine introductum est, ut de  
certa gente, seu genere debeat eligi præsidens, & ita  
eorum, qui sunt in collegio eligentium, habeatur po-  
tissima ratio, prout Episcopus eligi debet de gre-  
miō Ecclesiæ, etjamsi alibi digniores inveniantur C.  
cum inter ubi gl. de Elect. C. nullus 61. Distinct. Matth. Steph.  
F. 3 d. l. n. 9.

46 d. l. n. 9. Et de Inclitâ Venetorum Republicâ testatur Pa-  
tricius l. 3. de instit. Reip. t. 2 in ea peregrini non esse locum.  
Hæcq; fuit ex præcipuis conditionibus, quas Prote-  
stantes Imperatori Carolo V. obtulerunt: Das keis-  
ner zu der Hochheit eines Römischen Königs/zukünftigen  
Käyfers erwehlet soll werden/Er seye denn ohne mittel von  
einen Fürsten Teutscher Nation gebohren Dn. Goldast.  
Politischer Reichshändel p. 2. t. IV.

XXIII.

Dissentit Tolofan. de Rep. l. 7. c. 15. & affirmat,,  
Gallorum Principes æquè eligibles esse ad Imperi-  
um, communemq; duntaxat opinionem ferri, Impera-  
torem non posse eligi, nisi Germanum, & ex Germa-  
nis ortum. Et Pacian. de Probat. l. 2. c. 35. n. 50. opina-  
tur, ob memoriam pristinæ possessionis, Gallum cum  
Germano in Electionis calculo concurrere posse.  
Quam opinionem ex parte sequitur Elector Tre-  
virensis apud Sleid. l. 1. Gallica, inquit, gens & origine  
nobis est conjuncta, & ijsdem propè legibus atq; mo-  
ribus, & amorem omnem atq; benevolentiam no-  
stris hominibus præstat. Et ipse legatus regis Galliæ  
apud Sleid. l. 9. Perantiqua, inquit, est Galliæ regum, &  
imperij Principum conjunctio, & utriusq; gentis ea-  
dem stirps & origo, & propter situm & antiquita-  
tem, non usui tantum atq; præsidio, sed & orna-  
mento invicem esse possunt. Sed hæc olim ita fue-  
runt, jam autem, teste Gunth. l. 1. in Ligur.

— à nostro secessit Gallia regno.

Nos priscum regni morem servamus, at illa  
Jure suo gaudet, nostræ jam nescia legis.

XXIV.

Anne Electores patres, fratres aut alios con-  
junctos

junctos eligere possint, dubitatur? Sanè consanguini- 47  
nitatem suspicionem inducere, affirmat gl. in c. 1.  
verb. occulta, ut Ecclesiæ beneficiave, & favorabiliores  
sunt homines, in personis conjunctis, secundum Bal-  
dum. Unde etjam volunt Dd. nostri, quod infeuda-  
tiō à p̄lato consanguineis suis facta, simpliciter,  
& omnino non subsistat Gl. in c. 1. §. h̄c omnia verb.  
in clericorū. Si de investit. inter dominum & vasallum lis oria-  
tur, & gl. in c. 1. in verbo Archiep. Quis successores feu-  
dam dare teneantur; Martinus Laudenfis ibid. n. 8. Bald.  
in Authent. Quibuscunq; modis C. de S. S. Ecclesijs; quodq;  
nequeat agnatis Emphyteusin concedere Nov. 120, c. V. S.  
Oeconomis.

XXV.

Sed nos arbitramur, quod possint, siquidem illi  
tales sint, quos juxta formulam Jurisjurandi p̄lesti-  
ti idoneos imperio ex animi sententia putant.. Exem-  
plum suppeditat Moguntinus, qui consanguineum  
suum Adolphum Nassoviensem elegit, Cuspinianus &  
Peucer. in Adolpho. Et Johannes rex Bohemiæ voto  
suo sublimari fecit filium Carolum I V. in Imperato-  
rem: Naturale enim est, ut propinquos & cognatos  
nostros chariores habeamus C. non estimemus 13. q. 2.  
ut non immerito Tullius l. i. officiorum, scriptum reli-  
quisse videatur: In beneficijs conferendis observan-  
dos esse gradus societatis hominum, ut sicut quisq;  
nobis est conjunctissimus, ita plurimum ipsi tribua-  
mus. Sanguinis enim conjunctio, inquit, & benevo-  
lentia devincit charitatem homines, magnumq; est ea-  
dem habere monumenta majorum, ijsdem uti sacris,  
& sepulchra habere communia.

26. For

Formula Jurisjurandi, quod præstant Septemvirī, sic se habet : Ego N. Archiepiscopus Moguntiensis, Sacri Imperij per Germaniam Archicancellarius, & Princeps Elector, juro ad S. Dei Evangelia, hic præsentialiter coram me posita, quod ego per fidem, quâ Dœ & S. R. Imperio sum astrictus, secundum omnem discretionem, & intellectum meum, cum Dei adjutorio eligere volo, temporale caput populo Christiano, id est, regem Romanorum, in Cæsarem promovendum, qui ad hoc existat iudicatus, in quantum discretio, & sensus mei me dirigunt, & secundum fidem prædictam ; Vocemq; meam, & votumq; sive Electionem præfatam, dabo absq; omni pacto, stipendio, pretio, seu promisso, vel quocunq; modo talia valeant appellari, sic me Deus adjuvet, & omnes Sancti. A. B. t. 2.

## XXVII.


Anne autem Electores sibi invicem hoc juramentum remittere possunt ? Nos negamus cum Buxtorffio th. 28. l. a. Bortio d. l. th. 30. inf. Dan. Otton. d. c. X. f. 263. Quia Electores formam eligendi, in Bullâ præscriptam mutare non possunt, Florentinus à Vennen. cons. 16. n. 198. Et tale Juramentum favorem publicum continet, cui privatus renunciare nequit, Dis. Bursat. cons. 375. n. 133.

## XXVIII.

Elegantis etjam quæstionis est, An ad S. Evangelia jurare licet? Jus Canonicum ita efflagitat, textus est c. 44. in f. ibi : Sic me Deus adjuvet, & sancta Dei Evangelia, extra de jurando Abbas in c. ejus Christus n. 8. De Jure.







*Et iterum paulò post:*  
illitate viget, claroq; hinc sanguine reges  
Duces contingit avos: facundis dulcis;  
na nitens, animusq; sagax, manus impigra, solters  
filijs, belloq; ferox, & pace modestus,  
ite senex, etate puer, prudentia rerum.  
tus amor, robusta fides, constantia mentis,  
frangenda malis, nec sustollenda secundis;  
dis amans, largitor opum, crudelibus atrox,  
aquillus placidis, ferus, indomitusq; superbis;  
plicibus facilis, justis pius, asper inquis,  
is ad instantes casus, prudensq; futuri,  
teritiq; memor, socijs bonus, impius hosti.  
sunt ò Proceres, hæc sunt quæ regna tueri,  
unire soleat, his artibus infima crescunt;  
ima servantur, ni fallimur artibus istis, &c.

11